



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

3. Ejus liber & hasta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

## Ethica.

Quo commento I. (a) illud significare voluerunt, bonarum artium disciplinas humani ingenii non esse inventum, sed ex Jovis Cerebro, hoc est, ex inexhausto divinæ Sapientiæ fonte in humanum usum esse depromptas. Quod verò armata prodeat, & jam adulta Minerva, indicatur, Sapientis animum contra fortunam paratum & armatum, interritum se præstare periculis, infractum malis, adversis calamitatibus inexpugnabilem. Significatur quoque viri militaris consilium non, nisi maturum & absolutum, in lucem prodire debere: vel viros militiâ excellentes, simul bonis artibus debere esse instructos. Item Sapientiam se ipsâ munitam esse, nec quidquam metuere; non vinci, non subigi.

II. (b) Minervæ etymon quidam ducunt à *minando*, quasi vim minetur; solet enim simulacrum ejus fingi *egide* (hoc est, lorica pectorali) & *hasta* formidabile. Unde & Pallas à Græcis dicitur ἀπὸ τῆς πάλ-λεως, *vibrare*, propterea quòd hastam tenens, eam veluti vibrare videatur. Eadem & *Tritonia* appellatur, eò quòd *Ogygis* regis temporibus, circa *Tritonidem*, Africæ paludem, virginali facie dicatur apparuisse. Ab Homero peculiari epitheto γλαυκῶπις appellatur, à *glauco* oculorum colore: unde & *Cæsiam* Latini cognominant. Hæc prima *adificandi* modum invenisse fertur: ejusdem etiam inventum *colus* est: usum quoque *tibiarum*, & artem *Musicam* excogitasse dicitur. Præterea docuit acu pingere, telam texere: omnéque lanificium, *legésque*, ac *classica* adinvenit. Olei quoque usum prima putatur ostendisse, divinosque ob id honores meruisse, dignamque judicatam, quæ Athenarum urbi nomen imponeret, rejectò Neptunò, qui editò recens equò nascenti urbi potentiam bellicam promittebat. Virginitatem perpetuò illibatam servavit; hinc & *innuptam* & *intactam* appellant Poëtæ. Unde colligis, quanta vis sit excellentis animi, quàmque in multas ac varias artes illa se extendat, non tantùm addiscendas, sed etiam inveniendas. Minervæ nihil est negotii cum stupidis & cerebro laborantibus. Qui, si quid discendum, quid dicam? inveniendum, scalpunt caput vacuum: mordent ungues, justò per ignaviam longiores: quærunt Palladem in capillis, in quorum silva magis Diana venetur, quàm ut Minerva capiatur.

III. (c) Armata pingitur litterarum dea, & non muliebriter

Yyy 2

compta;

(a) Pallas cur ex Jovis cerebro nata? (b) Minerva habitus & artes,  
(c) Minerva cum libro & hasta.

compta; docétque, molles animos neque suis, hoc est *pacis*, neque *belli* (quod hasta significatur) artibus aptas esse. Trito versiculo:

Non jacet in molli veneranda Scientia lecto.

Hinc Vulcanus *securi* caput Jovis aperuit; ut intelligas, labore ac conatu sapientiam parari. Minerva *Belli* simul & *Musarum* Præses, altera manu *librum*, alterâ tenet *hastam*; cassis aurea in capite, & in casside cristæ rutilantes, lorica ante pectus. Aliàs etiam lanceam vibrat dextrâ, scutum attollit lævâ, Gorgoneo capite horridum; hujus præsidio Perseus, de quo Symb. 24. adversarios vertit in lapides. Hoc Symbolum est viri sive sapientiæ studiò, sive armorum, excellentis. Juxta Salomonem Proverb. 24. *Vir sapiens fortis est, & vir doctus, robustus & validus.* Fortior est, inquit Aristoteles, apud Antonium in Melissa p. 1. c. 12. ille, qui cupiditates, quàm qui hostes vincit: nam se ipsum vincere, difficillimum est. Fortis est, qui superat hostes; fortior, qui voluptates. Præclare Seneca ad Heluiam c. 5. Nec secunda sapientem evehunt, nec adversa demittunt. *Militarem* quoque Ducem Pallas armata repræsentat; Nam, ut in Proverbiis sacris est: *Cum dispositione initur bellum: & erit salus, ubi multa consilia sunt.* c. 24.

IV. (d) Palladis cassidi insidet *gallus*, quia pugnax avis est, & vigilax. Aspice gallum in pugna & duello, quid eò bellicosus? ut caput cristatum, ut caudam erectam & falcatam gerit, cum in certamen ingreditur: ut mavult mori, quàm cedere. Unde Marti quoque, bellorum Deo, sacer est, & adagiò *Martis pullus* vocatur. De eo Plinius: si ex certamine victoriam reportarit, tum oculorum eminentiâ, tum cervice erecta, & cantus contentione insolenter effertur, & triumphanti similis est. Quocirca Miltiades Athenienses contra Persas exacuturus, duorum gallorum duellantium spectaculum proposuit. In hac ave quanta vigilantia, & tempestatum præsentio? A prima mediæ noctis inclinatione, explaudentibus, ut Lucretius ait, alis

Auroram clara consuetus voce vocare,

Excubiarum quemdam & vigiliarum magistrum agit. Quid? quòd altero plerumque oculo sursum elevato, rapaces aves, infestissimos hostes suos, observet, ne repente involent; alterò, minutissima quæq; in locis etiam parùm lucidis diligentissimè disquirat. Faciant hoc alumni Palladis, seu calamo, seu gladio sint auctorati; secus, illi turpis inertix: isti temerariæ securitatis damnabuntur. Nam quemadmodum eruditionis amantibus diligenter ac sedulò perquirenda & pervolvenda sunt ea volumina, è qui-

bus

(d) Gallus gallinaceus Minerva sacer.